



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta
Complectens Primam Secundæ, & Secundam Secundæ Summæ
Theologiæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

7 Vtrum in aliquo bono anime.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72759](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72759)

Super Quæstionis secundæ articulum 7. & 8.

ARTICVLVS VII.

Utrum beatitudo hominis consistat in aliquo bono animæ.

In articulo 7. & 8. dubium occurrit de fundamento uoluntatis, scilicet, Obiectum uoluntatis nostræ est uniuersale bonum: quoniam aut intendit per uniuersale bonum, totum, seu omne bonum, aut bonum in uniuersali. Si secundo modo, uerum est, & bene probatur. Quod sicut obiectum intellectus est uerum, non tamen in hoc particulari, sed in uniuersali: ita obiectum uoluntatis est bonum non in hoc particulari, sed in uniuersali: sed ex hoc sensu non sequitur, ergo obiectum uoluntatis est bonum uniuersale in essendo, quod est Deus. Si primo modo, tunc non probatur per hoc, quod obiectum intellectus est uerum uniuersale: quoniam hoc uerificatur de uero uniuersali in predicando, & non de omni uero, nec ipsa ueritate diuina, quæ est omne uerum: quoniam nec hoc uerum, Deus est trinus, cadit sub obiecto intellectus: nec ea, quæ non licet homini loqui, & in cor hominis non ascendant, nec ascendere possent.

* art. 5. & 6. huius. quat.

Ad hoc dicitur, quod proprie loquendo, neutro modo intelligitur fundamentum illud: sed sensus est, quod sicut obiectum intellectus est uerum uniuersale, id est, non contractum ad tale, uel tale uerum, sed absolute: ita obiectum uoluntatis est bonum uniuersale, id est, non contractum ad tale, uel tale bonum, sed absolute: & si huic fuerit adiuncta subiecta differentia inter bonum & uerum ex 6. Metaphy. scilicet, quod uerum & falsum sunt in anima, bonum autem & malum in rebus: sequitur quod in illa re sola erit beatitudo nostra, quæ est obiectum uoluntatis humane, in qua est bonum absolute: ac per hoc in solo Deo est, quia in ceteris non est bonum nisi contractum, & hæc est manifesta in-

* Artic. 5.

* Lit. c. 3. & 11. tom. 3.

* q. preced. artic. 8.

AD SEPTIMUM sic proceditur.

Videtur, quod beatitudo consistat in aliquo bono animæ. Beatitudo enim est quoddam hominis bonum. hoc autem per tria diuiditur, quæ sunt, bona exteriora, bona corporis, & bona anime: sed beatitudo non consistit in bonis exterioribus, neque in bonis corporis, sicut supra ostensum est, ergo consistit in bonis anime.

¶ 2. Præ. Illud cui appetimus aliquod bonum, magis amamus quam bonum quod ei appetimus: sicut magis amamus amicum, cui appetimus pecuniam, quam pecuniam: sed unusquisque, quodcumque bonum sibi appetit, amat: ergo seipsum amat magis quam omnia alia bona: sed beatitudo est quod maxime amatur, quod patet ex hoc, quod propter ipsam omnia amantur, & desiderantur, ergo beatitudo consistit in aliquo bono ipsius hominis: sed non in bonis corporis, ergo in bonis anime.

¶ 3. Præ. Perfectio est aliquid eius quod perficitur: sed beatitudo est quedam perfectio hominis, ergo beatitudo est aliquid hominis: sed non est aliquid corporis ut ostensum est. * ergo beatitudo est aliquid anime: & ita consistit in bonis anime.

SED CONTRA est, quod sicut Aug. dicit in li. * de doctrina Christiana. Id, in quo constituitur beatitudo, propter se diligendum est: sed homo non est propter seipsum diligendus, sed quicquid est in homine, est diligendum propter Deum, ergo in nullo bono anime beatitudo consistit.

RESPON. Dicendum, quod sicut supra dictum est, * Finis dupliciter dicitur, scilicet, ipsa res, quæ adipisci desideramus, & usus seu adeptio, uel possessio illius rei. Si ergo loquamur de ultimo fine hominis quantum ad ipsam rem, quæ appetimus sicut ultimum finem, impossibile est quod ultimus finis hominis sit ipsa anima, uel aliquid eius. Ipsa enim anima in se considerata est ut in potentia existens, sit enim de potentia scientie actu sciens: & de potentia uirtuosa, actu uirtuosa. Cum autem potentia sit propter actum, sicut propter complementum, impossibile est, quod id quod est secundum se in potentia existens, habeat rationem ultimi finis: unde impossibile est, quod ipsa anima sit ultimus finis sui ipsius: similiter etiam neque aliquid eius, siue sit potentia, siue actus, siue habitus. Bonum enim quod est ultimus finis, est bonum perfectum complens boni appetitum. Appetitus autem humanus, qui est uoluntas, est boni uniuersalis: quodlibet bonum autem inherens ipsi anime, est bonum participatum, & per consequens particulatum. unde impossibile est: quod aliquod eorum sit ultimus finis hominis. Sed si loquamur de ultimo fine hominis quantum ad ipsam adeptionem, uel possessionem, seu quencunq; usum ipsius rei, quæ appetitur ut finis, sic ad ultimum finem pertinet aliquid hominis ex parte anime, quia homo per animam beatitudinem consequitur. Res ergo ipsa quæ appetitur, ut finis, est id, in quo beatitudo consistit, & quod beatum facit: sed huius rei adeptio uocatur beatitudo. unde dicendum est, quod beatitudo est aliquid anime: sed in quo consistit beatitudo, est aliquid extra animam.

ALTE est quod ipsa anima sit ultimus finis sui ipsius: similiter etiam neque aliquid eius, siue sit potentia, siue actus, siue habitus. Bonum enim quod est ultimus finis, est bonum perfectum complens boni appetitum. Appetitus autem humanus, qui est uoluntas, est boni uniuersalis: quodlibet bonum autem inherens ipsi anime, est bonum participatum, & per consequens particulatum. unde impossibile est: quod aliquod eorum sit ultimus finis hominis. Sed si loquamur de ultimo fine hominis quantum ad ipsam adeptionem, uel possessionem, seu quencunq; usum ipsius rei, quæ appetitur ut finis, sic ad ultimum finem pertinet aliquid hominis ex parte anime, quia homo per animam beatitudinem consequitur. Res ergo ipsa quæ appetitur, ut finis, est id, in quo beatitudo consistit, & quod beatum facit: sed huius rei adeptio uocatur beatitudo. unde dicendum est, quod beatitudo est aliquid anime: sed in quo consistit beatitudo, est aliquid extra animam.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod secundum quod sub illa diuisione comprehenduntur omnia bona, quæ homini sunt appetibilia, sic bonum anime dicitur non solum potentia, aut habitus, aut actus, sed & obiectum quod est extrinsecum. & hoc modo nihil prohibet dicere id, in quo beatitudo consistit, esse quoddam bonum anime.

AD SECUNDUM dicendum, quantum ad propositum pertinet, quod beatitudo maxime amatur tanquam bonum concupitum: amicus autem amatur tanquam id, cui concupiscitur bonum, & sic etiam homo amat seipsum: unde non est eadem ratio amoris utrobique. Utrum autem amore amicitie aliquid homo supra se amet, erit locus considerandi cum de charitate agetur. *

AD TERTIUM dicendum, quod beatitudo ipsa, cum sit perfectio anime, est quoddam anime bonum inherens: sed id, in quo beatitudo consistit, quod scilicet beatum facit, est aliquid extra animam ut dictum est. *

tentio literæ. Quæ contra obiectum intellectus obijciuntur, de limitatione ueri, facillime soluantur, dicendo quod sicut nullum est ens, ad quod non possit actus intellectus terminari aliquo modo: ita nullum est uerum quod ipsum omnino subterfugiat: Deum namque & omnia attingere potest. Sed quia non potest uoluer intellectus tali modo Deum cognoscere &c. ideo committitur fallacia figure dictionis, mutando, Quid, in Quomodo. Ex impotentia siquidem modi cognoscendi prouenit, quod oportet aliquid latere omnem intellectum creatum, & non ex limitatione ueri obiecti intellectus, quasi tale uerum debeat esse obiectum. Cuius signum infallibile est, quia quibuscumque ueris oblati intellectui, adhuc posset intellectus aliud nouum, uerum oblatum cognoscere, uel credere. Intellectus enim non sit minor ex cognitione præcedentium, ut dicitur 3. de anima: quod impossibile esset, si uerum limitatum esset ad æquum obiectum intellectus.

In responsione ad primum in artic. 8. uide de Nominis, authoris intentum de illa propositione, Supremum infini attingit infimum supremum: quod intelligitur de attingitione secundum proximitatem naturæ, quæ in similitudine earum propinqua consistit, & non de ordinati in finem attingitione ad finem ultimum.

2. q. 26. art. 3.

* in cor. ar.

ARTICVLVS VIII.

Utrum beatitudo hominis consistat in aliquo bono creato.

AD OCTAuum sic proceditur. Videtur, quod beatitudo hominis consistat in aliquo bono

7. q. 12. ar. 1. c. & q. 8. ar. 2. cor. Et 2. 2. q. 85. art. 2. corol.

Suj. ar.